Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nisi quod viderit patrem facientem, tamquam diceret: Quid scandalizati es
tis quia patrem meum dixi deum, et quia equalem me feci deo? Ita sum equalis
ut ille me genuerit. Ita sum equalis ut non ille a me, sed ego ab illo sim.
Hoc enim intelligitur in his verbis: non potest a se filius facere quicquam, nisi quod
viderit patrem facientem; hoc est: quicquid filius habet ut faciat, a patre
habet ut faciat. Quare a patre habet ut faciat? Quia a patre
habet ut filius sit, quia a patre habet ut possit, quia a patre habet
ut sit. Filio enim hoc est esse quod posse; homini non ita est, ex comparatione
humane infirmitatis longe infra iacentis. Utcumque corda sua
tollite, ne forte aliquis nostrum attingat secretum, et quasi coruscati
one magne lucis horrescens sapiat aliquid ne insipiens rema
neat, non tamen se totum sapere putet, ne superbia et quod sapiat amit
tat. Homo aliud est quod est, aliud quod potest. Aliquando enim et est homo,
Nota bene totum istud. et non potest quod vult. Aliquando autem sic est homo, ut possit quod vult. Itaque
aliud est esse ipsius, aliud posse ipsius. Si enim hoc esset esse ipsius quod est pos
se ipsius, cum vellet posset. Deus autem cui non est alia substantia ut sit,
et alia potestas ut possit, sed consubstantiale illi est quicquid eius est, et quicquid
quid est, quod est, quia deus est: non alio modo est, et alio modo potest, sed esse et posse simul
habet, quia velle et facere simul habet. Quia ergo potentia filii de
patre est, ideo et substantia filii de patre est; et quia substantia filii
de patre, ideo potentia filii de patre est. Non alia est potentia in
Nota. filio et alia substantia, sed ipsa est potentia que et substantia: sub
stantia ut sit, potentia ut possit. Ergo quia filius de patre est, ideo
dixit: filius non potest a se facere quicquam. Quia non est filius a se, ideo non potest
a se. Videtur enim quasi minorem se fecisse cum dicit: non potest a se filius fa
cere quicquam nisi quod viderit patrem facientem. Hic erigit cervicem
heretica vanitas eorum, scilicet qui dicunt filium minorem esse quam pater
est, minoris potestatis, maiestatis, possibilitatis, non intelligen
tes misterium verborum Christi. Attendat autem caritas vestra, et vi
dete quemadmodum de carnali suo intellectu modo turbentur
in ipsis verbis Christi. Hoc autem paulo ante prelocutus sum: quia omnia perver
sa corda perturbat, sic pia corda exercet verbum dei, maxime
quod per Iohannem evangelistam dicitur. Alta enim prolocutum dicuntur, non qua
liacumque, nec que facile intelligantur. Ecce iam hereticus si forte au
dit verba ista, erigit se et dicit nobis: Ecce minor est filius quam pater.